

Bibliothèque numérique

medic@

**Gueret, Julien - candidat / Sabatier,
Raphael-Bienvenu - président. - De
cystis felleae tumoribus**

1757.

***Paris : Typis Viduae Delaguette,
Collegii & Academiae Regiae
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobaeâ, sub signo
Olivae***

Cote : ms 2342, n°60



D. O. M.
T H E S E S
 ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

 DE CYSTIS FELLEÆ TUMORIBUS.



YSTIM Felleam, nimia bilis quantitate repletam in tumorem quandoque attolli variae testantur Practicorum observationes. Hujus autem morbi causae diversae sunt : nunc enim ab hepatis inflammatione pender, nunc verò summâ bilis crassitie, vel calculo bilario meatum cysticum occludente, producitur. Quænam sit illius diagnosi, quâ methodo, quibusve in circumstantiis curari valeat exponendum suscipimus. Difficile sanè argumentum, nostrasque vires longè superaturum, nisi celeberrimum Petit (a) ducem sequeremur.

(a) Videant. ea quæ super cystis felleæ tumoribus, in Act. Reg. Chir. Acad. scripsit Autor præstantiss. hujusce Colleg. mag.



2
Cum vero dicenda vesiculæ sitûs & structuræ notitiam supponant, nostrique instituti ratio postulet ut tum de Anatomicis, tum de Chirurgicis sermonem habeamus, felleæ cystis historiam in antecessum præmittamus.

CYSTIS fellea inferiori jecoris parti dextrorsum annectitur. Illius figura ovata est, & ad pyrum accedit. In fundum & cervicem dividitur. Illius fundus anteriori jecoris crepidini respondet, illiusque cervix sub inferiore illius visceris facie profundius delitescit, unde sequitur obliquum esse vesiculæ situm, illiusque fundum, ejus cervice inferiorem esse dum stamus (a) vel super latus dextrum recumbimus. Vesicula tribus constat tunicis; exterior communis & membranacea, cum tunica jecur succingente continua est, totamque vesiculam ambit, exceptâ parte quâ jecori adnascitur. Media cellularem textum exhibet, plurimisque vasis instruitur, quorum alia sanguinea sunt, alia verò nervea (b). Interior tandem villosa & reticulata dicta, innumeras in interiore vesiculæ facie rugas efformat, quæ diversâ ratione dispositæ, rete quoddam, plurimis areolis interstinctum constituunt. Illam minutis obsitam esse glandulis rotundis aut subovalibus, in internâ vesiculæ facie prominentibus, post Malpighium asserit Bianchi (c): verum nihil occurrit præter foraminula quædam, versùs vesiculæ cervicem numerosiora, quæ (d) Rhuischio, Morgagno, Winslowio, & Hallero lacunæ cryptis similes esse videntur.

VESICULÆ cervix ita inspecitur, ut capitis aviculæ figuram referat, deindeque ab it in meatum, duos circiter transversos digitos longum. Meatus ille, cysticus dictus, ab ipsâmet vesiculâ quoad structuram vix differt. Interior tamen illius tunica in rugas majores, valvulis similes, & obliquè dispositas attollitur. Rugæ illæ in his numerosiores, in illis verò pauciores, in omnibus, juxta totam ductûs cystici longitudinem observantur. Hic quoque conspicua se præbent foraminula seu lacunæ de quibus jam diximus. Meatus cysticus, meatum alterum ab internâ jecoris substantiâ oriundum, porum biliarium dictum, desinit, atque ei ad angulum acutissimum inseritur,

(a) Winslow. *Exposition Anatomique, Traité du Bas-ventre* §. 291.

(b) Quamvis omnes ferè Anatomici muscularem admittant tunicam, quam fibris oblongis, obliquis & circularibus diversâ ratione se se decussantibus componi asserunt, nihil tamen, in homine saltem de quo hic præcipuè agitur invenire unquam potuimus, quod muscoli naturam referret.

(c) *Historiâ Hepaticâ*, p. 277.

(d) Videant. notæ celeberr. Halleri in T. III. prælection. Academic. Boerhaav. in proprias instituit.

licet Winslowius (a) recipi biliarium affirmet. Valvulam quamdam hoc in loco, post Laurentium (b) & Marchettum (c) idem Autor admittit; nihil tamen diversum reperitur ab eminente membranâ, quam necessitas mechanica, in duorum vasorum concursu efficit.

VESICULA fellea plurimis vasis irrigatur. Hæc sanguinea sunt, illa verò nervea. Sanguinea vesiculæ vasa duæ sunt arteriæ, totidemque venæ. Arteriæ ab hepaticâ, venæ à venâ portarum oriuntur, nervique ab hepatico sympatici majoris plexu procedunt. Vesicula tertium quoque vasorum genus obtinet. Hepatico-cystica vasa dicuntur, bilemque ab hepate secretam, in cystim felleam deferunt. Hæc vasa à (d) Jatolino inventa, deinde verò à Glissonio (e), Medicis Amstelodamensibus (f), Perralto (g), Pecquetto (h), Verrheien (i) & aliis in bobus detecta, variisque experimentis demonstrata, in homine adhuc desiderantur. Cheseldenus (k) equidem illa se vidisse, in primâ suæ Anatomies editione scripserat, sed in tertiâ fatetur, se falsâ specie deceptum fuisse, vasaque illa amplius offendere non potuisse. Heistero contigit, ut cum illa in homine investigaret, unum ex illis invenisse arbitraretur: verum cum illud aperuisset, cognovit illius distributionem instar ramusculorum arboris sese habere, vasque sanguiferum esse. Non semel quoque vidit Hallerus (l) vasculum unum ex hepate, in cysticum ductum supra choledocum se immisisse, sed observavit illud arteriæ cysticæ ramulum esse, atque intimam hepatis substantiam penetrare. Denique flatum & aquam in choledocum inanità prius vesiculâ, cysticoque ductu ligato, pluries impulimus, nullamque in vesiculâ mutationem observavimus.

NON inde tamen cum Morgagni plurimisque aliis Anatomicis concludendum est hepatico-cystica vasa in homine locum habere non posse, cum adeo exilia esse valeant ut ocu-

(a) Loc. cit. §. 303.

(b) Hist. Anatom. pag. 243.

(c) Compend. Anat. pag. 28.

(d) Ann. 1757. vid. studium Medicum Boerhaave cum notis Halleri, Tom. I.

(e) Hist. Hepat.

(f) Bibliothec. Anatom. Mangeti. T. I.

(g) Essais de Physique, T. I. pag. 340.

(h) Journal des Sçav. ann. 1668.

(i) Anatom. corp. hum. Traët. II. cap. XVII. pag. 162.

(k) Vid. Anatom. Heisteri Compend. not. 18.

(l) Videant. ejus notæ in Tom. III. prælect. Academ. Boerhaave in propr. inst.

4

lorum fugiant aciem, crassioribusque liquidis nequeant penetrari. Aliunde illorum existentiam sequentibus observationibus demonstrari nobis videtur. Medicorum Edimburgensium (a) Acta referunt, inventum fuisse ductum cysticum omnino concrevisse, ita ut stilus immissus per aperturam ductus communis nullo modo penetrare potuerit in ductum cysticum, nec compressa vesiculâ, quæ bile plena, duorum pugnorum magnitudinem adepta fuerat, vel guttula contentæ bilis exivisset. Imò discissa vesiculâ, non poterat ullo modo distingui apertura ductus cystici ex illius cervice prodeuntis. Similem quoque ductus bilarii cystici concretionem in puero octimestri Blasius (b) observavit, propter quam & bilis descendere & stilus per foramen in duodeno notabile intromissus, ascendere non poterat. Vesicula tamen excedentis erat magnitudinis & ex diffinitione illâ præternaturali, adeo porosa facta fuerat, ut bilis transudationem, ejusque in abdominis cavum effusionem permetteret.

VESICULA fellea majorem vel minorem bilis quantitatem semper continere deprehenditur; hanc autem ab ipsismet vesiculæ glandulis secerni, indeque in hepar venire arbitratus est Franciscus Sylvius (c). Boerhaave (d) duplicem bilis cysticæ speciem agnoscit; aliam nempe quæ ex hepate afferatur, aliam verò glandulis vesiculæ secretam, utramque morâ amarescentem. Illius sententiam amplecti videtur illustrissimus Heisteri commentator, ex eo quod vena portarum ramificationes non obscuras vesiculæ impertiat. Verum nullus non videt geminas cysticas venas residuum vesiculæ sanguinem in venam portarum revehere, nedum afferant. Deinde si vesiculæ glandulæ cysticæ bilis secretioni inservire dicantur, hepaticam quoque bilem à glandulis similibus, totam pori bilarii longitudinem obsidentibus separari dicendum est. Verosimilius ergo videtur liquidum unguinosum ab illis glandulis secerni, cujus ope interna vesiculæ superficies à contenti liquidi acrimoniâ defendatur, omnemque vesiculæ bilem ex hepatis acinis efferri. Quânam vero id fiat ratione inter Anatomicos non constat; quidam enim cum Riolano & Verrheieno arbitrantur vesiculam hepatico-cysticorum vasorum ope adimpleri, bilemque ex hepatico meatu, per ductum cysticum descendere non posse; alii contrariam sententiam tuentur; alii tandem cystim felleam duplici modo repleri cum Glissonio meritò contendunt. Vesiculam felleam.

[a] Tom. II. n^o. XXI. pag. 129.

[b] Observation. rarior. Med. pag. 38.

[c] Disputat. de bilis & Hepatis usu.

[d] Medic. Instit. de actione bilis. utriusque.

hepatico-cysticorum vasorum ope vel in homine repleti suadent observationes superius à nobis allatae. Bilem quoque per ductum cysticum descendere posse plurima comprobant. Rhuischius (a) affirmat repertas à se fuisse vesiculas felleas fundo suo hepatis neutiquam connatas, ipsique solâ cervice adherentes, atque unam ex his vesiculis bile refertam in musæo suo per aliquot annos reservasse memorat. Dilaceratâ canis vivi vesiculâ felleâ usque ad illius cervicem, non tantum vidit Bohnius (b) bilem turgescentiâ quâdam ex angustiore meatu per latiorē cervicem eructari, sed eundem ductum cysticum post injectum ipsi vinculum sic intumescere, ut nihil aut parum bilis per dictam cervicem amplius promanaret. Dùm in cadavere in quo vesiculam felleam abesse videbatur, cysticum ductum, rei penitus investigandæ causâ forficibus abscindere conaretur Lieutaud (c), maximam invenit resistentiam, à calculo nigro ductum occupante, viditque vesiculam maximè contractam paucas feri limpidissimi guttulas continere. Denique unum è nostris collegis idem in viri melancholici cadavere observasse certò novimus. Meatûs ergo cystici tenuitas, obicis in choledoco defectus, valvulaque tandem, quam in pori biliarii, ductûsque cystici concursu quidam supponunt bilis in vesiculam regressui nequeunt obstare.

INQUIRENDUM nunc superest quânam causâ bilis è vesiculâ exprimitur. Hanc ab ipsiusmet vesiculæ contractione expelli omnes ferè existimant. Verum quamvis musculosas illius fibras, attentione maximâ, pluribus in cadaveribus investigaverimus, nullum unquam vel minimum illarum vestigium deprehendere nobis datum est. Aliunde cur vesicula per vices contraheretur, hocque potius momento quàm altero? Illam solâ ventriculi repletionē & distentione comprimi evincunt Riolani (d) observationes; asserit enim vesiculam bile plenam & turgidulam in fœtu reperiri, nec non in strangulatis, qui dum cervicibus suis necem

[a] Catalog. rarior.

[b] Actis. eruditor. ann. 1682, de vasis biliaris.

[c] *Essais Anatom.* pag. 305. Ex illâ observatione concludit Autor clariss. cysticam omnem bilem per canalem cysticum in vesiculam efferri, nullosque dari ductus hepatico-cysticos. Nihil tamen probare videtur, cum constet hepatico-cysticos ductus in illo casu, aliisque huic similibus, crassiore bile concretionibusve biliaris occludi potuisse. Glissonius enim historiâ hepaticâ observat lapideam substantiam, in pori biliarii ramulis sæpius occurrere, & concretiones illas tantæ esse longitudinis, ut si integræ eximi possent, plurimas pori biliarii ramificationes, continuatâ lapideâ serie, coralli instar, referrent. Aliundè observationes observationibus opponi possunt.

[d] *Antropograph.* Lib. II, cap. xxii.

imminere viderent, inediâ sese confecerunt. Idem occurrit in bobus qui per tres aut quatuor dies fame macerantur antequam jugulentur; Boerhaave (a) que vidit in porco obeso, qui per triduum non fuerat pastus, vesiculam adeo tumentem & adstrictam, ut ne guttulam bilis ex eâ potuerit exprimere.

Vesiculæ felleæ tumores dextram epigastrii partem, infra spuriarum costarum limbum occupant, & ab alio quocumque tumore discernuntur, ex eo quod cutis colorem non immutent, fluctuationemque exhibeant manifestam. Aliunde molestus adest gravitatis sensus, faeces albescent, urinæ flavæ fiunt vel nigræ, bilisque sanguini permixta, ciborum inappetentiam, oris amaritiam, sitim ardentem, singultum & vomitum producit, atque cutem ictero deturpat. Quandoque tamen contingit ut vesicula absque ictero immaniter distendatur, cum nempe bilis adeo tenax est & viscida, ut in hepatis vasa regurgitare nequeat. Hujusmodi casus habetur in Actis Medicorum Edimburgensium (d), aliumque planè similem observasse meminimus. Excrementa quoque fuscum suum colorem quandoque servant. Cum enim cystis ad summum extensionis gradum pervenit, bilem eodem modo ex illâ redundare necesse est, quo urinam è vesicâ paralyti tentatâ profluere videmus. Deinde si meatus cysticus solus occludatur, hepaticam bilem per choledocum in intestinum continuo stillare debere evidens est.

VESICULÆ felleæ tumores ab hepatis inflammatione pendentes, cum abscessibus convexam illius visceris faciem occupantibus facillimè confunduntur. Illustrissimus VanSwieten (c) fateatur, se vesiculam contento liquido distentam invenisse in cadavere pauperis mulierculæ quam hepatis vomica laborasse suspicatus fuerat, plurimæque similia exempla in Actis Regiæ Chirurg. Academiæ memorat Petit. Huic autem errori ansam præbet utriusque morbi similitudo. Etenim in utroque casu omnia remittuntur hepatitis symptomata. Rigores nullo servato ordine invadunt, dextrumque hypochondrium in tumorem elevatur, & mollitiem atque fluctuationem exhibet. Verum cum inflammatorius hepatis tumor in pus convertitur, febris invalescit, dolorque pulsatorius evadit. Confecto jam jam pure vires imbecilliores relinquuntur, pulsus parvus fit & frequens, ingruunt horrores quos febris exacerbatio cutisque mollities consequuntur, hypochondrii tumore nunc illum,

[a] Ejus Academ. prælect. in proprias insit. Tom. III.

[b] Tom. II. paragr. xxx.

[c] Tom. III. pag. 307.

nunc alium locum occupat, tegumentorum œdema comitem habet, obscuram edit fluctuationem, duritiemque majorem vel minorem in suâ periferiâ profert. E contra, cum vesicula resolutionis ope in tumorem attollitur, symptomata citius evanescent, pristinam hilaritatem recuperat æger, rigores cutis siccitatem inducunt, tumor circumscribitur, & eundem locum occupat, naturalis servatur tegumentorum habitus, fluctuatioque in omni tumoris ambitu æquè ac in illius centro manifesta est.

Chirurgia punctiois ope vesiculae felleae tumoribus medetur. Hæc autem operatio in omnibus circumstantiis celebrari non potest. Nisi enim vesicula cum peritonæo coaluerit, bilem in abdominis cavum extillare, ægrumque è medio tolli necesse est. Cystim verò cum partibus vicinis concrevisse docent morbi diuturnitas, vitiatus tegumentorum habitus, immotusque tumoris situs : constat enim vesiculam peritonæo adnatam reperiri in illorum cadaveribus qui diuturnis hepaticis doloribus obnoxii fuerunt, atque tegumenta vel inflammatione, vel œdemate in illo casu laborare. Aliunde quamvis tumor huc & illuc propellatur, ægrotusque situm mutet, tumor eodem semper in loco deprehenditur. Vesiculae punctio acu triquetra minore, cannulæque sulcatæ instructa celebranda est. Adacto instrumento retrahitur acus, bilis per cannulam educitur, stilusque deinde in cystim immittitur ut de calculorum existentia constet.

Calculi bilarii, in cysti fellea sæpius reperiuntur. Illos è bile proprio conceptaculo diutiùs coercitâ fieri jam dudum docuit Fernelius (a), illiusque sententiam illustrissimi Van Swieten (b) observata confirmant. Cum enim bilem in vase vitreo reliquisset ut putresceret, calculosos grumos in fundo vasis invenit. Calculi bilarii aquæ innatant, igni admoti flammam concipiunt, plurimisque è stratis mutuo sese excipientibus efformari videntur. Eorum alii virides sunt vel sublutei (c), alii verò nigrum colorem exhibent. Priores igne toti comburuntur, nihil ingrati redolent, levi cum strepitu inter arandum scintillant, flammamque usque ad extremum servant, ut neque ita perstantem, neque ita claram alat cera litteris obfignandis destinata. Posteriores verò flammam non servant, capillos ustos combusti redolent, longè friabiles sunt, atque ita nigricant, ut carbones potius quam calculi esse videantur. Calculi bilarii minores per ductum cysticum & choledocum

[a] De partium morbis & symptom. Lib. VI. cap. v.

[b] Loc. cit. p. 132.

[c] Vid. Morgagni adversar. Anat. III. pag. 595.

8

in duodenum sæpius descendunt, deindeque cum fœcibus ex-
turbantur : qui verò in majus volumen excreverunt, in cysti
remanent, atque in illius cervicem impacti illam quandoque
occludunt, vesiculæque tumorem producant.

Calculis extremo stili occurrentibus, incisio scalpelli recti,
in sulcum juxta cannulæ longitudinem insculptum immissi ope
celebranda est. Hanc autem minimam esse debere nullus non
videt. Educto deinde scalpello, vossellæ in cystim propellun-
tur, ipsa retrahitur cannula, calculique vicissim extrahuntur.
Si verò nulli adsint calculi bilisque tenax sit & viscida, diluen-
tia, syphonis ope per cannulam in cystim immittenda sunt,
cannulaque deinde educi debet. Idôneus postea superponi-
tur apparatus, vulnusque juxta cognitæ artis leges ad cicatri-
cem perducitur.

TANTA est quandoque vesiculæ distentio, ut illius
tunicæ subitâ inflammatione correptæ, vicinis adhærescant
paribus, atque suppuratione brevi exedantur. Pus deinde cu-
niculos agens, musculos & ipsam cutem erodit, ulceraque si-
nuosa plus min usve profunda efformat, quorum oræ sanie per-
fusæ indurantur & occalescunt. Fistulæ illæ continuum puris
stillicidium suppeditant, sinceramque bilem, necnon calculos mi-
nores identidem emittunt. Illas quoque ab ipsiusmet vesiculæ
musculorumque abdominalium abcessibus quandoque produci
comprobat celeberr. Morand, in Actis Reg. Chir. Acad. Tom.
III, quamvis nulla præcesserit vesiculæ distentio. Si nulla
sint accidentia, cystis fistulæ naturæ permittendæ sunt; si ve-
rò debitam bilis quantitatem non eructent, ægerque de cibo-
rum inappetentiâ, animi defectu, colicisque doloribus con-
queratur, scalpello recto, stili sulcati ope sunt aperiendæ,
calculisque, si qui sint, eductis, vulnus conglutinari debet.

Darius
*Has Theses, D E D U C E, & Præside M. RAPHAËLE-
BENEVENTO SABATIER, Liberalium Artium
& Chirurgiæ Magistro, nec-non Regiæ Chirurgiæ Academiæ
Socio, tueri conabitur JULIANUS GUERET Ambianensis,
in alimâ Universitate Parisiensi Liberalium Artium Magister.*

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die Sabbati 22^a. Octobris anno salutis 1757, à sesquisecondâ
post meridiem ad septimam.*

P R O A C T U P U B L I C O.
ET MAGISTERII LAUREA.

Typis Viduæ DELAQUETTE, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg.
Typographi, viâ San-Jacobæâ, sub signo Olivæ,